UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. VAL. MARTIALIS

Martialis, Marcus Valerius

AMSTELODAMI, 1628

De M. Val. Martiale testimonia.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-711

Visual Library

DE M. VAL. MARTIALE TESTIMONIA.

* * *

C. Plinius Cæcilius Secundus, Epistola lib. 3. ultima.

CORNELIO PRISCO SUO S.

Audio Valerium Martialem decessisse, & molestè fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo & salis haberet & fellis, nec candoris minus. Prosecutus eram viatico secedentem, dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis quos de me composuit. Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc inprimis exolevit. Nam postquam desimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris, qui sint versiculi quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem: tu, si placuerint hi, cæteros in libro requires. (lib. x. Epig. xix.) *Alloquitur Musam, mandat ut domum meam Esquiliis quærat, adeat reverenter.*

Sed ne tempore non tuo difertam
Pulses ebria januam, videto.
Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum studet auribus virorum
Hoc, quod sæcula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas:
Hæc hora est tua, cum furit Lyæus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Meritone eum, qui hoc de me scripsit, & tunc dimisi amicissime, & nunc ut amicissimum, defunctum esse doleo? Dedit enim mihi, quantum maxime potuit: daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari majus, quam gloria, laus & æternitas

nitas? At non erunt æterna, quæ scripsit! Non erunt fortasse: ille tamen scripsit, tanquam futura.

Sollius Sidonius Apollinaris, Carm. 9.

Non Catulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus,
Aut mordax sine fine Martialis.

Idem Carm. 23.

Quid celsos Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Iberitarum?

Ælius Spartianus, in Histor. Augusta.

Idem (Ælius Verus) *Ovidii libros amorum in lecto semper habuisse; idem Martialem, Epigrammatum poëtam, Virgilium suum dixisse* (fertur.)

Jovianus Pontanus, de Sermone lib. 3. cap. 18.

Valerius Martialis artificiosissimus Epigrammatum scriptor, ita in iis quidem jocatus est, ut frequentius carpat, quam delectet: tamen si è deformione ipsa delectatio quoque paritur. Adhæc dictis ejus occultissima quædam insunt spicula, &c. sunt tamen dicta ejus in universum arguta, subtiliterque conquisita; abstrusæ sententiæ, eædemque raræ, salsæ, aculeatæ: inventiones vero maxime acutæ: verba autem præcipue accommodata, quæque non prima tantum facie, atque in ipso explicatu, lectorem alliciant atque auditorem: verum quæ in ejus animo relinquant tacitam quandam quasi subtitillationem.

Angelus Politianus, Orat. pro Quintiliano.

Ut ab ingeniosissimo Latinorum Epigrammatum poëta, &c.

Iulius Cæsar Scaliger, Poetic. libr. 3. cap. 127.

Epigrammatis virtutes peculiares: brevitas, & argutia: hanc Catullus non semper est assecutus: Martialis, Poëta argutissimus, nusquam omisit.

Idem lib. 6.

Ne Martialem quidem transferre libet ad meliora. Multa sunt ejus epigrammata divina: quibus & sermonis castitas, & argumenti species luculenta est. versus vero candidi, numerosi, pleni, denique optimi.

M. Antonius Muretus in Commentar. ad Catullum. (*Iniquus in Martialem Censor*)

Romani & serius attigerunt Poëticam, & coluerunt negligentius, & minime longo tempore in recta scribendorum poëmatum via perstiterunt. Siquidem cum a rudibus apud eos Poëtica profecta principiis, tandem per multos gradus ad Virgilium pervenisset: quo ego homine nihil statuo fieri potuisse divinius: ita postea cœpere ingenia in deterius labi: ut mirum sit, quanta quam brevi tempore sit consecuta mutatio. Hispani poëtæ præcipue & Romani sermonis elegantiam contaminarunt, &, cum inflatum quoddam & tumidum, & gentis suæ moribus congruens, invenissent orationis genus, averterunt exemplo sua cæteros a recta illa & simplici, in qua præcipua Poëtarum sita laus est, & in quam superiores omni studio incubuerant, imitatione naturæ. Itaque fere post Augusti tempora, ut quisque maxime versum inflaverat, sententiam maxime contorserat, eo denique modo locutus fuerat, quo nemo serio soleret loqui, ita in pretio haberi cœpit. Quin etiam fucatus ille splendor, & adulterina eloquentiæ species, ita nonnullorum, qui veræ eloquentiæ gustum non habent, occœcavit animos, ut his quoque temporibus exstiterint Hispani duo, homines cæteroqui & inprimis eruditi, & scriptis editis nobiles: quorum alter Lucanum Virgilio, alter Martialem Catullo anteponere veritus non est. Quorum ab utroque ita dissentio, ut si quis Deus po-

testatem

testatem mihi optionemque faciat, non dicam Virgilii, (cui videor injuriam facere, si eum ullo modo cum cæteris comparem) sed Ennii alicujus, aut Furii, quam Lucani, multo similem in scribendo esse me malim. Inter Martialis autem & Catulli scripta tantum interesse arbitror, quantum inter dicta scurræ alicujus de trivio, & inter liberales ingenui hominis jocos, multo urbanitatis aspersos sale. Neque vero negaverim, multa in Martiale quoque non inscienter dicta reperiri: sed profecto deteriorum longe numerus major est. Latinæ quidem orationis nativa illa, minimeque quæsita pigmentis infuscata germanitas, in Martiale nulla est; in Catullo præcipua. Iis de causis cum ab illo altero, nescio quo modo, semper abhorruissem: Catullum contra nunquam non mirabiliter amavi. &c.

Adrianus Turnebus, Adverſ. lib. 13. cap. 19.

Cum a lepidissimo Poëta (nec enim illis assentior, qui scurram ineptum eum appellant, neque satis elegante Musa libros Epigrammatum scripsisse autumant) lib. 3. Epigr. 93. canitur,

Admittat inter bustuarias mœchas, &c.

Juſtus Lipſius, 1. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 5.

Quid censes tu, nonne melius de Martiale Scaliger judicavit, qui versus eos candidos, numerosos, plenos: epigrammata multa divina dicit: quam ille, qui scurram de trivio appellat? Nollem excidisset viro magno hoc judicium judicii dissimile. &c.

Idem de Amphith. cap. 15.

Designatorum facete sæpe meminit acutus & capitalis ille Hispanus.